



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-180891-p0002-3

DFG

1738, 166
DISSE²⁰
RATI³⁸⁻
O IN AVGVRALIS IVRIDICA,
DE
DOCTRINA
SUCCESSIONIS PACTITIAE,
EIVSQUE
VSV ET ABVS IN GERMANIA.

NOSTRIS:

Wie die Rechts-Händel bey denen vielerley Successions-
Fällen in Teutschland zu entscheiden sind.

Q V A M
S V B P R A E S I D I O
DN. CONR. WILH. STRECKERI,

ICTI MAGNI NOMINIS,
IN ACADEMIA ELECTORALI HIERANA,

P R O L I C E N T I A

S V M M O S I N V T R O Q V E I V R E H O N O R E S D O C T O R A L I A
M O R E M A I O R V M C A P E S S E N D I ,

DIE IV. FEBRVAR. C I O I O CC XXXVIII.

P V B L I C O E R V D I T O R V M E X A M I N I S V B I E C I T

A.

CASPAR. GVNTHERV^S LINDNERVS,

FRANCOHVS ANVS.

N V N C , O B P R A E S T A N T I A M M A T E R I A E ,

I E N A E ,
REC. LITTERIS HELLERIANIS, 1760.



I. N. D. N. I. C.

PRAEFATIO.



um nobis materiam quandam loco inau- guralis dissertationis indigitare animus es- set, variæ se quidem obtulerunt ; præprimis autem ar- risit materia de doctrina successio- nis paetitiæ s. anomalæ ejusque usu genuino & abusu in GERMA- NIA, tum ob præstantiam , tum ob singularem utilitatem omnino di-

A 2 gna,

gna, quæ publico eruditorum examini subjiceretur ; & quamvis non desint, qui fuse de pactis successoriis jamjam scripserint ; de ejus tamen doctrina, usu & abusu in Germania invenimus nullum. Hæc dissertatione directa est contra eos, qui quæcunque pacta successoria, contra genuina tamen principia juris Alemannici valida esse contendunt. Nos sequentem servabimus ordinem, ut membro I. hanc doctrinam secundum principia juris Romani tradamus, deinde membro II. usum ejus & abusum in Germania exponamus. Deus T. O. M. hos labores vertat in sui Nominis gloriam, proximique salutem, id est, quod devotis exoptamus precibus.

MEM-



MEMBRVM I.

§. I.

Quemadmodum jure civili variis sunt modi acquirendi inter vivos ita ; quoque certi dantur mortis causa, sc. hereditas defertur aut per testamentum aliamve ultimam voluntatem, L. 1. ff. qui testam. fac. poss. aut ab intestato, quando quis sine testamento decepit, & sic facile ad proximos suos cognatos bona sua magis deferri cupit, lege tunc successionem disponente. L. 3. §. 2. ff. pro soc. Hic duplex delationis ritus in tantum est inveteratus, ut vel ipso teste Tacito, apud Romanos aliasve gentes longe ante Christum natum jam usitatus fuerit, solis exceptis Germanis, quippe quibus heredes successoresque sui cuique liberi, & nullum testamentum. Tac. Germ. 20. 6. quin potius suos ex communi iuri gentium usu comprobato, ab intestato succedere exoptarent ; invalidit tamen mos pedetentim

A 3

apud

apud illos, ut sua suasque fortunas non solum per testamenta, sed & per pacta, sub certis tamen requisitis, certisque solennitatibus ac conditionibus adeum, quem sibi maxime haberent, transferent: hinc factum, ut tres successionis species in Germania indeque tot tantæque DD. altercationes, de quo vis pacto successorio, promiscue servando, exortæ sint. Cum autem hujus materiae sedes & obligatio hujus pacti in L. 15. & L. fin. C. de pa^t. aliquo modo fundata sit, putamus non inconcinnne fore, quædam generaliter de pactis differere.

§. II. Pactorum materia, uti est diffusa, ita difficultate non caret; notum autem est, apud Romanos principaliter duplicitis generis pacta dari, scilicet nuda, & vestita, vestita sunt, quibus lex robur addidit, ad firmam actionem in foro producendam, nuda autem nullam actionem, sed tantum exceptionem, producunt. Germani autem hæc pacta ad simplicitatem juris gentium redigerunt, ex quo cunque pacto sc. licito, firmam obligationem nasci statuentes, interim non est credibile, eos, ejusmodi pacta, quæ contra bonos mores sunt, approbasse, cum bonorum morum vel ipsi strenui, teste Tacito, fuere cultores ac defensores;

¶) (¶

sores. Romani in primis, ut Asseclæ stoicæ Philosophiæ, omnia ea pacta, quæ contra bonos mores inita erant, tanquam illicita damnabant. Hinc ejusmodi pacta nec inter nuda, nec vestita connumerati poterant, omnisque vis & efficacia & obligandi, & excipiendi eis adempta erat. Præsertim autem iis pacta successoria tanquam contra bonos mores ita erant infensa, ut plena tristissimi eventus acerbissimæque spei penitus improbatæ latis constet cit. L. 15. & L. fin. C. de paet. in tantum, ut Fiscus pacientibus ejusmodi hereditatem obvenientem eripere possit; L. 2. §. fin. ff. de bis, quæ ut indign. aufer. interim tamen dantur certa pacta, impropriæ sic dicta, quæ etiam jure civili certis sub conditionibus ac solennitatibus subsistunt. L. ult. c. de paet. l. ult. C. de codic. Faciamus itaque periculum & videamus hoc Membro I. dissertationis hujus nostræ, quæ pacta jure civili valeant.

§. III. His præmissis aliquo modo elucebit, quid sit successio pactitias, s. anomala, nimirum conventio duorum pluriumve de hereditate viventis. Generis loco recte posuimus conventionem, tanquam vocem generaliorem, uti sumta est in L. 1. §. 3. de paet. & sub se comprehendit certas

rās pactorum species, sive de acquirenda sive de o-
mittenda hereditate agitur, eandemque cum pa-
ctis decisionem habet, vid. L. ult. c. de pact. in ver-
bis: sed nobis &c. & sub se comprehendit duorum
pluriumve consensum, ita ut non unius voluntas
sufficiat sed & alterius acceptatio accedat, necesse
est, L. 25. de O. & A.

§. IV. Antequam autem ulterius progre-
diamur, præmonendum esse, necessario duximus,
hujus materiae nimirum sedem in famosissima illa
& jamjam cit. Leg. ult. c. de pact. inveniri, quippe
ex qua facile patebit, quas pactiones lex admiserit,
& quamvis à DD. variæ successionis paetitiae tra-
dantur species; in eo tamen omnes re ipsa conve-
niunt, quod summa sit divisio, quod hæc pacta vel
de tertii viventiis vel de unius ex ipsis pacientibus
propria hereditate fiant, qua minus dubitandum,
quo magis hæc divisio in cit. L. ipsa fundata sit, ce-
teras autem subdivisiones jus civile non agnoscit,
sed sunt mera inventa Doctorum.

§. V. Campus nunc hic maximus se aperi-
ret dicendi de variis divisionibus & subdivisionibus
à DD. inventis, horum pactorum, quod scil. sint
vel

vel dispositiva, vel conservativa, vel acquisitiva,
vel conservativa, & de restituenda hereditate, que
inter quoque referri possunt adhuc pactum con-
fraternitatis, unionis prolium, inter conjuges, gan-
erbinatus, sed cum pro nunc è nostra non sit, o-
mnes species sigillatum percurrere præsertim cum in
jure civili nullam fixam fedem habeant, permane-
bimus tantum in tractatione generali pactorum
successoriorum, eorumque validitate.

§. VI. Paucis igitur præmitto, in quo pa-
cto successorio turpis captatio mortis cessat, illud
etiam valebit, si captatio intercedat, nullum est,
nec attendenda sententia quorundam ex Novell. 19.
Imperatoris Leon. statuentium, per modo dictam
Novellam L. 15. C. de pact. abrogatam, indeque
omne pactum successorum etiam jure civili vali-
dum esse, quia tum hujus Novellæ authoritas in
foro plane est nulla, tum, quia illa de alio plane
casu, scilicet de pacto dotali, ejusque validitate
loquitur.

quod pacta successoria non valeant, ob vetum
mortis captandæ, nisi de cuius hereditate agitur,
conscientiat, & usque ad mortem perseveret, quod
autem non pertinet ad species & subdivisiones pa-
ctorum, à Doctoribus inventas, quippe quas jus
civile plane ignorat.

§. VIII. Ratio, cur ejusmodi pacta jure ci-
vili non valeant, partim est, ut diximus quod vo-
tum mortis captandæ in iis lateat & incivile sit, vi-
ventis hominis bona in sortem & divisionem vo-
care, & ita quasi ejus mortem voto ac spe præci-
re, Brunnemann. in Cod. Lib. II. Tit. III. §. 2. de pa-
ctis. partim, quod successio sit juris publici, adeo-
que non dependeat à privatorum arbitrio, jus enim
publicum privatorum pactis non potest immuta-
ri, L. 38. ff. de pact. & futura successio, sive heredi-
tas non potest deberi nisi ex testamento vel ab inte-
stato, Brunnemann. in L. un. n. 3. C. ut action. & ab
hered. & contra hered. incip. nec quis sibi testamen-
tisfactionem adimere potest, L. 22. de Leg. 3. qua-
cum conspirant, L. 87. ff. de condit. & demonstrat.
L. 6. §. 2. ff. de jure codic. L. 34. c. de transact. quia
voluntas hominis est ambulatoria ad extreum
usque

usque vita halitum, in tantum autem tale pactum invisum est, ut si initum sit, non tam pacientes de eius hereditate agitur, quocunque tempore revocare, quam fiscus pacientibus de tertii hereditate, ejusmodi hereditatem obvenientem eripere possit, per supr. alleg. L. 2. §. 2. ff. de his, que ut indign. aufer. hinc est quod demum post mortem ejus ad quem hereditas pertinet, cum scilicet is consentiat, & perseveret, effectum nanciscatur; hinc hoc pactum nihil aliud est, quam instar ultimae voluntatis, quocunque tempore revocabile, cit. L. fin. c. 1. de pactis, contra propriam pactorum naturam, à quibus resilire alias non licet, hinc concludo, hanc successionem è valde irregularem & anomalam.

§. IX. Unicus ergo casus in jure nostro civili occurrit, quando pactum successorium subsistit, nimicum, quando is, de eius hereditate agitur, & consentiat, usque ad mortem & perseveret, quia tunc consensus hic tollit præsumptionem mortis captandæ, Brunnemann. in Cod. Lib. II. Tit. III. §. 12. extra hunc casum nullus admittitur, ratio est votum, mortis captandæ & acerbissimæ spei, cit. L. fin. C. de pact. audiamus legem ipsam in verbis:

B 2

sed

*sed nobis omnes hujusmodi pactiones odioſe eſſe vi-
dentur & plena triftiſimi & periculosi eventus.
Porro: Nisi ipſi forte, de cuius hereditate pactum
eſt, voluntatem eis accommodaverit, & in ea usque
ad extreſum vitaſ ſpatium perfeveraverit, tunc e-
nī ſublata acerbifima ſpe, licebit eis, eo ſciente &
jubente, hujusmodi pactiones ſervare. Hoc autem
quod diximus, non eo extendendum eſt, quaſi pa-
ciſci non liceret de hæreditate hominis incerti, ſi
qua obvēntura eſt, nam hoc eſt permiffum L.3. §.
2. ff. pr. Soc. BRVNNEMANN. in Cod. Lib. II. Tit. III.
§. 8. de pact. quia tunc votum mortis captande ces-
ſat, utpote quod cadit in perlonam certam & no-
minatam.*

§. X. Hoc autem ita intelligendum eſt, ut
eiusmodi pactiones, cum valere debeant, etiam ſolen-
nitate non careant, dum praefentia ſimultanea, &
continua quinque Testium requiritur, non ſolum
ad probationem, quam ſolennitatem, omnia enim
pactiones, que agunt de ſucceſſione, pro forma eſcen-
tialiter habent, ut ad ſint quinque testes & probentur,
per quinque testes, licet enim ſolo ſigillo partium
vel ſcriptura, vel testibus duobus, aut tribus, regu-
lariter

lariter contractus probentur ; L. ult. C. de Rebus
Cred. tamen quando agunt de succedendo, & adeo
post mortem disponentis transeunt in ultimam
voluntatem , L. 40. §. fin. ff. de pact. tum non subsi-
stunt, nec esse etum suum consequuntur, neque va-
lent, nisi fide & conscientia quinque testium nitan-
tut, L. ult. C. §. 3. ff. de codicill. L. ult. C. de donat.
mort. caus. CRAVETTA cons. 139. n. 10. § 11.

§. XI. Nunc adhuc est reliquum, ut pau-
cis discutiamus, quid juris sit de pacto successorio,
per epistolam inito ; Doctores aliqui mire hic se-
torquent, statuentes : per epistolam quoque pa-
ctum successorum contrahi posse, cum epistola
approbata à recipiente inducat obligationem , &
plene prober L. 16. ff. de Scto MaceD, BARTHOL.
in L. un. nuda ratio ff. de donat, & donatio inter vi-
vos absque omni teste per solam epistolam sit vali-
da, L. 13. C. de donat. imo ex præsumptionibus col-
ligi possit, quod re vera facta sit, MASCARD. con-
clus. 563. num. 4. LETSER. medit. ad ff. specim. 437.
medit. I. nec minus dispositio epistolica, ut episto-
la fidei commissaria sustineri possit, L. 14. ff. de juri
Cod. L. 77. §. 26. Et. Leg. 2. BRUNNEMANN. ad L.

final. de Leg. 2. siquidem ejusmodi epistola inter homines spectatæ fidei, instar instrumenti liquidi & confessati considerari debeat. CRAVETTA *Con-*
sil. 31. cum primis acceptata fuerit. BRUNNEMANN.
ad L. 6. C. de donat.

§. XII. Verum enim vero, cum supra defendimus, pacta successoria jure civili regulariter esse invalida, & sic valde restringenda, & pro forma essentiali adhuc requiri, ut quinque testes adhibeantur, multo minus hoc procedet in pacto per epistolam contracto, cum leges allegatae de pactis, proprie sic dictis loquantur, & sic à pactis successoriis distingvantur, prætereaque ratio prohibitiva juris civilis hic non cessaret, clarus est textus in L. 52. *ff. de pac*t*.* quod nuda epistola, hereditas, seu jus hereditarium non acquiratur, nec per epistolam pacto deferri possit, KRESS. *in specimin. prud. privat.* Lib. 2. tit. I. §. 15. multo minus talis epistola valere potest, ut epistola fideicommissaria, partim, quia talis epistola in jure est incognita, partim quia tunc eslet species ultimæ voluntatis, ad quam quinque testes requiruntur, & sic actus ultimæ voluntatis exinde oriatur, qui tamen ab actibus inter vivos distingvuntur. L. 20. *ff. de Verb. Signif.*

§. XIII.

§. XIII. Dixisse quādam de pāctis successō
foriis eorumque validitate, secundum jūs civile, pro nunc sufficiat, cum instituti nostri ratio non permittat, plura de hac re agere. Videamus nunc Membro II. quid jure Germanico de illis sit statuendum.

M E M B R V M I I.

S I S T E N S

H V I V S D O C T R I N A E V S V M E T A B V S V M I N G E R M A N I A .

§. I.

Iure civili proprie sic dictam successionem pāctū
tiam non dari, supra demonstravimus, restat
nunc, ut hoc Membro II. dissertationis nostræ vi-
deamus, qualis sit ulus & ab ulius horum pactorum
in Germania.

§. II. Antequam autem rem ipsam aggredi-
diamur, ante omnia adhuc repete licet divisio-
nes & subdivisiones pactorum successoriorum,
quarum quidem supra Membro I. §. V. mentia-

nem

nem fecimus, scilicet hæc sunt, juxta doctrinam DD. vel dispositiva, vel conservativa, vel acquisitiva, vel renunciativa, quibus Dn. STRTK. differt. VIII. cap. I. §. 10. de pact. successor. in genere, tanquam speciem, à se ipso noviter inventam, addit pactum de restituenda hereditate. His adhuc quidam DD. & quidem conservativis, quidam autem acquisitivis tanquam subdivisiones, addunt pactum confraternitatis, unionis prolium, inter conjuges, ganerbinatus, & has pactorum species, & sublpecies per totam Germaniam valere, vulgo adstruunt DD. Musc. de success. convent. & anom. COTHMANN. Vol. II. num. 99. WESENBECK. consil. 71. Vol. II. CARPOV. P. 2. C. 35. Def. 19. WERNHER in suppl. ad P. I. obs. 260. Item P. V. obs. 8. § 59. Item Vol. VII. pag. 171 seqq. aliisque plures & ex Neotericis LETSER. medit. ad ff. specim. 473. Meditat. I.

§. III. Hæc species & subspecies pactorum ut plurimum sunt mera inventa DD. Recurramus ad antiquitates, videamus modo quo fundamento nitantur. Si scriptores rerum Germanicarum evolvamus, invenimus quidem, pacta successo-

cessoria acquisitiva in usu, duplicitisque generis suis.
 se, de ceteris autem plane silent, vel enim possessor
 inter vivos in aliquem transferebat hereditatem, a-
 limenta sibi stipulatus : vel servata sibi possessio-
 ne, eandem post mortem demum ad alterum red-
 dituram pollicebatur : Verum enim vero, hunc
 transferendi modum omnibus gentibus Germani-
 cis non fuisse eundem sed singulis variasse, adque
 certas solennitates, & personas, scilicet ad conju-
 ges, & parentes, certosque casus, si nimirum sine
 liberis deceperint, vel nullos cognatos reliquerint,
 admodum fuisse restrictum, quoque legitur ; sic,
 quod attinet solennia, quocunque modo etiam
 quis pacisceretur, solennis quadam intercedebat
 traditio, cuius fere omnes Gentium Germanica-
 rum leges faciunt mentionem, *Lex Salica* tit. 69.
 eam traditionem, quæ vel Adfatomia vel Adrami-
 tio dicebatur, fieri jubet in judicio sub scuto, jacta
 in sinum heredis festuca, & actu possessorio ab hoc
 in donatoris bonis exercito, adhibitis denique te-
 stibus, qui hæc omnia facta esse, affirment. **E.C.**
 CARD. in *Comment. ad Leg. Sal.* pag. 92. Simile est
 quoque, quod lege Ripuariorum tit. 48. cautum
 legimus : si quis procreationem filiorum vel filia-
 rum

rum non habuerit, omnem facultatem suam in
 præsentia Regis, sive vir mulieri vel mulier viro,
 seu cuicunque libet de proximis vel extraneis ad-
 optare in hereditatem, vel ad fatimi per scriptu-
 rarum seriem, seu per traditionem, & testibus ad-
 hibitis secundum Legem Ripuariam licentiam ha-
 beat. Apud Wisigothos pacta successoria certis
 conditionibus & solennitatibus fuere quoque ad-
 stricta, ut videre est in Lege Wisigothorum Lib. V.
 Tit. 2. §. 6. Sic non minus arctis limitibus circum-
 scripta erat illa de hereditate sua paciscendi licen-
 tia, apud Saxones, qui fere solam successionem le-
 gitimam probabant. Nulli vero uti est in Leg.
 Saxon. tit. 14. §. 2. licebat traditionem hereditatis
 suæ facere, præter ad ecclesiam vel Regi, nec here-
 dem suam ex heredem facere, nisi forte famis ne-
 cessitate coacto, ut ab illo, qui hoc acceperit, su-
 stentaretur: nec aliter valebant jure provinciali
 Saxonico, nisi ad acta illa fuissent firmata: Wer
 ihm Erbe zusaget, heisset es Lib. 2. art. 30. nicht
 von Sippeschafft oder Erbe, sondern von Gabe
 und Gedingswegen, das soll man halten vor Un-
 recht, und nicht glauben, man möge dann gezeu-
 gen, daß das Gelübte vor Gericht bestätigt sey.
 Porro

Porro cavetur Lib. I. art. 52. ne quis bona sua immobilia, vel homines proprios, sine heredum consensu, ac extra judicium tradat; de bonis vero immobilibus, hominibus lanis permittitur dispositio, verba ipsa hic apponere lubet: Ohne der Erben Laub und ohne Gericht, mag kein Mann sein eigen Guth, noch seine Leuth vergeben; Verziebt er es aber ohne Recht und ohne der Erben Urlaub, die Erben mögen sich wohl ihres Guts unterwinden mit Recht, als ob der Todt wäre, der es gab, darumb weil er es nicht vergebett möchte. Alle farende haabe aber giebt der Mann wohl ohne Laub der Erben, in allen Städten und an allen Orten, und lässt, und verleihet sein Guth, allein daß er sich also vermeide, daß er begüetet mit einem Schwerdt und mit einen Schild auf ein Ross kommen möge von einem Stein oder Stock, einer Daum Ellen hoch, ohne Hülffe, also doch, daß man ihm das Ross und den Stegsteif halte, wenn er das nicht thun mag, so mag er sein Guth weder vergeben, noch verlassen, noch geleihen, dadurch ers jemand entfrembdet, der es wartend wäre nach seinen Todte.

§. IV. Econtra de his omnibus in Jure Alemanno nihil legitur. Hoc enim Art. 286. tantum permittit testamentis actionem, quam vocant ein Geschäft, & prescribit formam art. 305. in verbis: Ist, daß ein Mann seinen Freund Guth schaffen will, nach seinem Todt, will er ihm das sicher machen, er soll ihm Brieff geben, besiegelt mit eines Layen-Fürsten Insiegel, oder mit eines Closters- oder einer Stadt Insiegel oder soll für seinen Herrn oder Richter haren, und soll die Gezeugen nehmen, und andere die dabeysind etc. omnia hæc latius deduxit D. HEINECCIVS in element. Juris Germanici Lib. 2. tit. 6.

V. Ex his omnibus satis luculentèr appareat, non omnia pacta successoria Jure Germanico ubique valuisse, sed tantummodo quædam, apud quasdam gentes atque provincias sub certo tamen modo certisque solennitatibus in usu fuisse, ex quibus autem nulla universalis consuetudo deduci potest, cum à speciali ad universale non valeat consequentia. Reste itaque concludimus: Quamdiu specialis loci alicujus lex seu consuetudo de hac velilla pacti successorii specie retenta, seu recepta, non

non asseratur, & probetur, tamdiu stabimus Juri Romano, nullum pactum successorum admittentes, nisi in sensu Juris Romani; & hoc non sine fundamento, nam cum in Germania, Jus Justinianum Romanum fuit receptum, hereditates per pacta amplius transferri non posseunt, nisi hoc vel illo loco peculiaris consuetudo contraria probetur. HARTMANN. PISTOR. P. 4. qu. 2. per tot. cui sententiae & ipsa Ordinat. Cameral. P. 1. Tit. 13. §. 1. accedit, statuens, quod ubi ulla certa consuetudo in Germania apparet, tunc necessario ad Jus Justinianum recurrentum sit, cui tamdiu standum, donec consuetudo contraria probetur. cit. HARTMANN. PISTOR. alleg. loc. Non inconcinne hac de re quoque scribit B. DE LYNKER in annal. ad Struv. Syntagm. Jur. Civ. Exercit. 2. thes. 15. dicens: Jus enim Justinianum totum in complexu valet ex receptione, quæ receptio tamen facta est salvis statutis, jam tum in Germania obtinentibus, ut nimis his deficientibus, ad Jus Justinianum tanquam commune, recurrentum sit, hinc, qui legem ex Justiniano citat, non necesse habet probare. Hinc recte concludit HARTMANN. PISTOR. allegat. loc. quod iis in locis, ubi peculiaris conve-

C 3 tudo

tudo non probatur, secundum juris communis
 sententiam contra pacta successoria sit judican-
 dum, cum in Germania jus commune adhuc obti-
 neat, & generalis consuetudo contraria plane defi-
 ciat, imo attestatur, quod in judiciis contra pacta
 successoria secundum juris communis dispositio-
 nem sit pronunciatum, idem dicit, quod ejusmodi
 pacta de futura successione ne juramento quidem
 confirmari possunt. Qu. 2. n. 30. 31. 32. 33. & 34.
 cum pactum contra leges initum, nullam produ-
 cat obligationem, & ideo heredes promittentis
 absque perjurio ab ejusmodi pactis resilire possint,
 juramentum enim est per sonale, & heredes non
 constringit, Authent. Sacrament. puber. C. de re-
 scindend. vendit. Idem probat GILKEN ad L. pa-
 ctum quod Dotal. num. 104. seqq. C. de paet. quod
 nulla ejusmodi consuetudo, qua pacta succe-
 soria, nequidem dotalia complobentur, in Germa-
 nia obtineat, & Dn. B. DE LTNKER resp. 53. num.
 12. dicit: Man machet sich derjenigen Meinung,
 welche die Paeta super hereditate durch Gewohn-
 heit eingeföhret zu seyn, vermeynen wollen, nicht
 theilhaftig, quippe quod eam jam dudum solide
 discussit HARTM. PISTOR. qu. iur. 1. 2. seqq. P. IX.
 §. VI. Stab

§. VI. Stabimus ergo sententiae nostræ, nullum pactum successorum in Germania esse admissum, nisi lex seu consuetudo alicujus loci adsit, & probetur. Et quamvis pactum confraternitatis inter personas illustres, utspte publica lege approbatum CAPITVLAT. LEOPOLD. Art. 6. in verbis: *Die unter Thürfürsten und Ständen aufgerichtete Erb-Brüderungen hiermit confirmiret, nec non certis in locis pactum inter conjuges, unionis prolium, tanquam speciem patrum conservativum, validum esse posse, concedamus: tamen quod pactum confraternitatis attinet, id restringendum tantum modo sit, ad solos Proceres & Nobiles Imperii, jurisdictionem & imperium habentes, TEXTOR de pact gentilit. thes. 3. quod autem cetera dicta pacta attinet, non aliter illa valere putamus, quam si prius lex adsit, seu consuetudo loci, & hæc probetur. Exinde tamen minus consequitur quod consuetudo universalis exinde oriaretur.*

§. VII. Statuimus ergo adhuc semel, ejusmodi consuetudinem universalem pactorum successorum in Germania non dari, sed consistere

cap-

tantum in imaginatione DD. quorundam. Attestari & dicere hujus vel illius Doctoris, non sufficit, sed probetur necesse est. Illi DD. qui pro nostra militant sententia majorem merentur fidem, & nihil probare debent, siquidem illi jus civile pro se habent, quod probatione receptionis non indiget. *Baro DE LTNCKER in anal. ad Struv. Syntagm. Jur. Exerc. 2. Thes. 15.*

§. VIII. Concessimus §. VII. certas species pacti successorii in certis locis Germaniae admitti posse, sed hoc ita intelligendum est, ut non simpliciter valeant, sed requiritur, ut ante omnia consuetudo hujus vel illius loci probetur, hacque probata certae adhibeantur solennitates, quæ secundum diversitatem pactorum diversæ quoque sunt. Paœta nimirum successoria in Germania licita & approbata, vel in vim contractus vel in vim ultimæ voluntatis ineuntur; in prioris generis paœtis duo sufficiunt testes, in posterioris autem generis, aut quinque testimoniū præsentia, eaque simultanea & continua, uti hoc cautum est im Land-Recht, Art. 30. Lib. 2. requiritur, aut ut judicialiter conficiatur pactum, quia tunc præsentia judicis omnem supplet.

supplet solennitatem nisi tamen lex quædam seu statutum adsit, quæ certas alias solennitates insuper requirunt. Ejusmodi statutum de pacto inter conjuges invenitur Francohulæ *Lib. III. artic. 54.* statut. In Chestifstungen, heift es, die vorm Rath, in Beyseyn eines Mannes und Weibes Freundschaft, zum wenigsten zweyer Personen, aufgerichtet werden, mögen sich beyde Theile, wie eines dem andern im Erbe nachfolgen und succedieren soll, wohl vergleichen. Hic requiriatur, ut ad minimum duo testes adhibeantur, & quidem unus ex consanguinitate mariti, alter ex consanguinitate uxoris, ubi autem lex seu statutum alicujus loci, de forma nihil disponit, tunc supplemus ex jure Alemannico & civili. Pro forma essentiali itaque requiritur, ut non tantum ad sit præsentia quinque testium, sed & illa simultanea & continua esse debet. Land-Recht cit. loc. & ubi lex pro forma aliquid requirit, illud præcise est observandum per jura notoria, nec aliter valent ejusmodi pacta jure ultimæ voluntatis, scilicet ut post mortem relicta capiantur quam si habeant testes numero quinque. PHILIPP. Porc. conf. 80. num. 2. per Gloss. L. ult. §. fin. C. de Codic. nec probari pot-

D

est

est ejusmodi dispositio quinque testibus, qui actui non affuerint conjunctim, cum ejusmodi nequidem in testamento militis sufficiat, BAVER. num. 13. 14.

§. IX. Questio adhuc incidit, quo iure ejusmodi pactum, in quo vox: Erben, Erbschaft, aliaque vocabula, ultimam voluntatem designantia, quibus adjungi possumus vocem: præcipuum, eis Vorauß, reperiantur, valeat? Dn. LETSER. medit. ad ff. specim. 437. medit. 1. statuit non nocere, quo minus vi pacti valeat, quando alias animus paciscendi, & remunerandi appareat; Verum autem vero, cum actus inter vivos ab actibus ultimæ voluntatis distingvantur, L. 20. ff. de Verb. Signif. prætereaque nota characteristica ultimarum voluntatum sit, quando verba in testamentis & alijs ultimis voluntatibus conservata, e. g. Erbess, Erbschafft, reperiuntur. WESENBECK. Consil. 38. num. 49. 50. CARPOZO. Part. 2. C. 43. definit. 20. BERGER. in Resolut. LAVTERBACH. p. 543. putamus ejusmodi actum vi pacti haud posse valere.

§. X. Multo minus pactum de succeden-
do

do per epistolam iniri potest, quamvis acceptatio ab utraque parte facta sit: Quia validitatem omnium successorum pactorum in Germania in genere negamus, nisi haec vel illa species, e. g. unio prolium, pactum inter conjuges usu recepta sit, legitimeque pactum constitutum esse probetur solennitates vero ad pacta inter conjuges & unionis prolium necessaria in epistola adhiberi non possunt. De his quoque egimus supra Membro I. §. 12.

§. XI. Ex deductis itaque patebit, usum hujus doctrinæ esse 1) nullam consuetudinem in Germania dari, qua hereditates per quæcunque pacta transferuntur, quia vel ipsi antiqui Germani, à quibus tamen haec consuetudo vult deduci, non omnia pacta successoria approbaverunt; prætereaque esse dictaminis naturalis, & sanæ rationis, quod consuetudo ab una specie ad aliam, nisi etiam in hac specialiter probetur haud extendatur, 2) extra pacta dotalia & unionis prolium hodie in Germania intra privatos nulla alia esse valida, quia ipsi Germani antiqui tantummodo donationes inter conjuges, mutuas sive reciprocas, & adoptiones in defectu liberorum, admirerunt,

MARCVLPH. *Form. Lib. 2. c. 7. 8.* ex quibus ex postfacto pacta dotalia, & uniones prolium orta videntur. 3) Ne quidem pacta dotalia per universalem consuetudinem in Germ. esse introducta, sed semper spectandum, an hoc vel illo loco hoc pactum vel per legem scriptam seu non scriptam approbatum sit, quia Germania semper habuit diversos legislatores hinc etiam diversas leges & consuetudines, & foret ridiculum, scribit Autor ANONIMVS quidam, *de recept. Jur. Roman. sect. 3. §. 5.* leges & consuetudines particulares, quæque antiquioribus temporibus non nisi in hoc isto vel loco obtinuerunt, hodie ad Germaniam pertrahere integrum, imprimis cum incertum sit, quæ ad modum loca Alemanni Bajarii, Frisiones &c. quondam inhabitaverint, prout videri potest in HERTII *notit. veter. German. populor.* 4) Pacta successoria validitatem inde habere non posse, quod quæcunque Germani pacta semper servaverint; quia veteres Germani ipsi pacta successoria à pactis communibus distinxerunt, eaque ad certas personas, certasque circumstantias, & ad certa solennia distinxerunt, uti supra deductum est.

§. XII. Abulum hujus doctrinæ quod attinet,

nēt, ille clarus patefiet, adversariorū opinionibus in medium prolatis, & refutatis. Primariam rationem ex fontibus illius pristinæ fidei Germanorum deducunt, siquidem illi de fide data ita constantes fuisse traduntur, ut teste Tacito de Germanorum moribus C. 24. illam in alea quidem fallere noluerint, inde ortum traxisse videtur illud Germanorum proverbium : *ein Wort ein Mann, ein Mann ein Wort.* Hæc Germanorum simplicitas atque dexteritas sine dubio comovit quosdam Doctores, Membr. II. §. 2. in fin. cit. adeo, ut inter alios citatus *LET SERVS in Medi-
tat. ad ff. specim. 43. num. 5. eos Doctores*, qui luce-
cessionem pactitiam ad certas tantum species re-
stringunt, erroris cujusdam arguere, non veritus
sit, audiamus modo ipsas rationes.

§. XIII. Rationes itaque, quæ ad sustinen-
dam eorum sententiam communiter afferuntur;
sunt sequentes : 1) Germani magis simplicitatem
juris gentium, sinceritatem, & datam lemel fidem,
quam subtilitatem amant, BERGER. *œconom. jur.
Lib. I. tit. 3. §. II. pag. 134. lenser. cit. loc.* 2) Vi-
tium morale his pactis non inesse, & sic illa non esse

D 3

contra

contra ius divinum & naturale, sed potius esse res
meret facultatis. 3) Juxta principia juris civilis
hæc pacta non dijudicari debere. GAIL. observat.
126. num. 2. § obser. 117. num. 6. LETSER. cit. loc.
SCHILTER. Exercit. 36. §. 39. in fin. siquidem liber-
tas testandi sit juris positivi, & per consuetudinem
mutari possit. KÖHLER. de pact. dot. p. 2. num. 70.
ANTHON. FABER. in Cod. tit. de pact. convent. def. 6.
4) Humanæ rationi nihil esse convenabilius, quam
ut quis de rebus suis, quas maximis in commodis
in vivis acquisivit, etiam in mortis eventum dispo-
sitionem habeat. 5) Tandem universali consue-
tudine in Germania introductum esse, ut quæcum-
que pacta valeant, BERGER. œcon. Jur. Lib. II. Tit.
IV. §. 49. de jure heredit. STRTK. in usu modern.
tit. de pact. dotal. §. 3. 10. in fin. LETSER. cit. loc.
Hæ sunt rationes, quas Doctores vulgariter affe-
runt, sed videamus, quibus fundamentis illæ ni-
tantur.

§. XIV. Ad rationem 1) itaque responde-
mus: quamvis concedamus, quod Germani Ve-
teres fidei datae admodum fuerint tenaces, & magis
simplicitatem juris gentium quam subtilitatem æ-
mave-

maverint; non tamen exinde lequitur, eis quodcunque pactum successorum fuisse licitum, quia id, quod de fide pactorum in genere dicitur, potius restringendum est ad alia pacta licita, & contractus, non autem extendendum ad quævis pacta successoria, cum vel ipsis hæc pacta, uti supra §. 3. & 4. demonstravimus, ad conjuges & parentes restringerunt, certaque solennia adhibuerint, uti etiam Dn. KRESS. *in specim. Iprud. tit. I.* §. 1. illa tantum ad pactum Ganerbinatus, confraternitatis, inter conjuges, & unionem prolium, restringit, prætereaque forma statusque pristinæ Germaniæ valde mutatus sit. 6) Contra sanam rationem moresque bonos Germanorum militar, scilic. eos, quæcunque pacta sine distinctione coluisse, quia sub hoc termino generali etiam omnia pacta turpia, & contra bonos mores intelligi possunt. Ad 2) respondeatur, quod iis pactis, ubi votum mortis captandæ intervenit, omnino insit vitium morale, non tam propter votum mortis captandæ, quam quod sint contra legem prohibitivam, quæ in conscientia obligat, concepta, hinc non dependent ex pacifcentium voluntate. Ad 3) respondeatur, quod ratio non appareat, quare materia de pactis,

pactis, juxta principia juris romani discuti non possit, ratio prohibitiva est secundum jus romanum votum mortis captandæ, & hæc ratio apud Germanos quoque non cessat, cum teste experientia sæpe proximi cognati, iis, quorum hereditas aliquando vel ab intestato, vel per testamentum defertur, insidias vitæ struunt eorumque mortem exoptant, ergo hæc captatio mortis magis est verenda, quando hereditas per pacta ad eos, seu extraneos quoscumque defertur, nec adjuvat, quod successio Romanorum sit juris positivi, & sic consuetudine mutari possit: quia hæc ipsa ratio, quod successio sit juris positivi, & hinc ex privatorum arbitrio mutari non possit, etiam in pactis successoriis veterum Germanorum conspicitur, consuetudo econtra de mutata successione prius probari debet, quarta ratio huc non quadrat, nam lex non vetat, quemut de rebus suis disponere possit, sed tantummodo vult, ut secundum formam lege præscriptam sua bona transferat, hoc autem per testamentum aliamve ultimam voluntatem rite confessam fieri potest. Ad 5) negatur, quod universalis consuetudine Germanicæ introductum sit, omnia pacta successoria valere hinc hæc probanda est,

à spe.

à speciali autem hujus vel illius loci, uti jamjam diximus, non est argumentandum ad universalem, imo ipse Dominus Bergerus, quamvis alias dissentire videatur, præjudicium affert in sua Oeconomia Juris de hered. jur. Lib. II. Tit. IV. §. 49. ubi contra pactum successorum pronunciatum est, rationem juris civilis ex rationibus decidendi ibi ad ductis in eo ponens, quod votum mortis captandæ ejusmodi pacto insit.

§. XV. Ex his omnibus satis apparenterelucebit, in quantum illi Doctores aberrant, qui quæcunque pacta successoria in Germania valida esse evincere conantur, & quam vaga sit illorum hac in parte traditio. Unus alterum imitat, & unus alterum citat, hic unius & alter alterius auctoritate natus, hinc tantus opinionum cumulus: sed sine ulla lege; consuetudinem universalem esse dicunt, & tamen nemo per totam Germaniam inquisivit, an hæc opiniata consuetudo, in omnibus locis & provinciis sit cognita, aut recepta. Hoc autem ex invidia erga Jus Romanum, sine dubio ortum esse, nemo est, qui rem sine præjudicio & præcepta opinione perquirit, qui facile negabit.

E

Abusus

Abusus ergo hic hujus doctrina contra genuina
principia & Juris Justiniane, & Alemannici, se
sistit apertus. Sed nunc subsistemus, & plu-
ribus de hac re in actu disputatorio
agemus.

SOLI DEO GLORIA.

Supplendi hoc spatum, anneDEMUS dissertationes, materias proferentes, que agunt: de successione, de ganerbinatu, de unione prolium, de pracipuo, de pacto confraternitatis, matrimonialis, sive pactum inter conjuges, alimentationis, de adoptione, de testamentificatione &c. & similimi modo Iene in officina Helleriana aequo venduntur pretio, ut:

Zollii de pactis successoribus.

Lynckeri de ganerbinatibus.

Henne de tutela S. R. Imp. Principum.

Hoepneri de tutela pauperum, & de tutela naturali.

Wildvogelii de tutela dativa.

Hahnii de tutela matris.

*Hoheiselii de tutori in locum testamentarii de-
functi à magistratu dando, contra Ulpianum.*

Hahnii de contractibus innominatis.

Hastii de unione prolium.

Hupe-

Hupedenii de translatione jurium defunctorum in
heredem.

Mülleri de jure agnatorum singulari.

Huthii de testamento coeci.

Hofferi de quibusdam causis exhereditationis.

Hanacci de liberis à tutela & cura excusantibus;

Streitii de successione anomala.

Schröteri de impossibili in contractibus.

Mülleri de ære alieno à successoribus feudi solv.

Wildvogelii de translatione fideicommissi.

Ziegleri de jure liberorum in bona parentum.

Slevogtii de dominio revocabili.

Struvii de communione bonorum.

Erckebrechtii de potestate superiorum in mutandis ultimis voluntatibus.

Slevogtii de alienatione domino prohibita;

Ziegleri de successione inter vivos.

Schacheri de restricta testatoris potestate.

Trierii de jure condominium.

Schubarti de confirmatione pactorum.

Tenzelii de cura maritali.

Rebhani de jure exactonis quartarum.

Mülleri de providentia majorum.

Schorchii de tutela feudal, ejusque differentiis
ab allodiali.

Wildvogelii de fideicommissis familiarum nobilium coventionalibus.

Streckeri de fideicommisso sub clausula: quicquid post mortem superfuerit, relieto.

Streckeri de jure mulierum, quibus expresse hypotheca à marito constituta est.

Meieri de validitate donationis, quæ facta uxori, eo casu, quando bonis, postea lapsus est maritus, eaque à creditoribus possidentur.

Rudelii de adjecto.

Struvii de jure representationis.

Schwendendößtri de rerum permutatione.

Weberi de investituris & servit. feudor. ludicris.

Pestelii de judice in dubia successione lineali & graduali principum.

Slevögii de possessione non transeunte.

Müllerii de conditionibus derisoriiis ultimis voluntatibus adiectis.

Streckeri de præstandis legatis in testamento invalido relictis.

Rielchii non dari pacta dotalia per testamentum unius conjugis invito altero revocabilia.

Reinharthi de pacto hereditario renunciativo heredes & successores non obligante.

Eiusdem de successione clericorum in geradam.

F I N I S.

Erfurt, diss., 1730

ULB Halle
005 367 816

3





Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

1738, 166
38.
20

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA,
DE
DOCTRINA
SUCCESSIONIS PACTITIAE,
EIVSQUE
VSV ET ABVSV IN GERMANIA.

N O S T R I S :

Wie die Rechts-Händel bey denen vielerley Successions-
Fällen in Teutschland zu entscheiden sind.

Q V A M

S V B P R A E S I D I O

DN. CONR. WILH. STRECKERI,

I C T I M A G N I N O M I N I S ,

I N A C A D E M I A E L E C T O R A L I H I E R A N A ,

P R O L I C E N T I A

S V M M O S I N V T R O Q V E I V R E H O N O R E S D O C T O R A L I A

M O R E M A I O R V M C A P E S S E N D I ,

D I E I V . F E B R V A R . C I O I O C C X X X V I I I .

P V B L I C O E R V D I T O R V M E X A M I N I S V B I E C I T

A.

CASPAR. GVNTHERVS LINDNERVS ,

F R A N C O H V S A N V S .

N V N C , O B P R A E S T A N T I A M M A T E R I A E ,

I E N A E ,

R E C . L I T T E R I S H E L L E R I A N I S , 1760 .